



## JOSEPHINA.

**V**ico Alsherrano civitatem Josephinam subnectimus. Situs amœnitate, ædium cultu, civium frequentia, cæterisque deliciis admodum affluit; præterquam enim, quod, quâ urbem despicit, editiore solo sese attollens solem apricio-rem accipiat; prætorum insuper vinearumque vi-fore, quâ se ad occasum in planitiem explicat, incingitur: quo amœnissimo oculorum illicio simul animos recreat, simul vicina ædibus, fecunditate horrea incolarum locupletat.

In longum orgiis tercentum protenditur, in latum dimensa cum adfite Valenziano agro, *Alaudarumque campo* ( *Perchenfeld* ) dimidium æquat; ut adeo geometrico calculo utriusque areæ spatium pedum quadratorum 1049300. numerum conficiat. Udalriciani suburbii latus ab urbe ad-euntibus finistrum tenet: ducto à sumptuoso Co-mitis de Kinski palatio, ad Comitum de Nath æ-dem limite. Oppositum vicus Alsherranus, ab Jangliana domo, ad Comitum de Kolowrat æsti-va procurrens, terminat.

Annis abhinc quatuor & triginta pars maxima areæ hujus aut vitibus vinicularum sudoribus colebatur, aut vomere fulcata exercebatur ad messem: nunc ne agreste quidem tugurium cer-neres, velut agri fertilitas libertatem tam diu-turnam exorasset, qui non tam civibus alendis fruges, quàm ipsos cives ferre præoptaret. Villa unica *Rottenhoff* dicta, circumfite agris vineis-que dominabatur, illatisque in horrea cellasque

vinarias æstatis, autumnique frugibus, velut de-  
penso annuo tributo ditabatur.

Rus ità incolarum expers Domino de Küllman  
jure pervetusto parebat; donec ad Marchionem  
de Malaspina venditione transfisset, qui ab Leo-  
poldo Augustæ memoriæ Cæsare ob amplissima  
merita circum adfiteo fundo donatus ( ut agros  
proventuum fecundiores redderet ) sub annum  
elapsi sæculi nonagesimum octavum colonis qui-  
busvis adventantibus agros ædibus conferendi fe-  
cit potestatem, in plures annos ab oneribus im-  
munitate promissa. Quo effectum, ut non lon-  
go post tempore advolantibus undique advenis,  
sedem hic figere ambientibus, ager universus ædi-  
bus confitus, atque spes antè conceptas civium  
frequentia superaret.

Ex urbe ipsa huc cives movère, quos domici-  
lii alieni servitus, exaggerato pretiò conducenda,  
admodum presserat; vel ex iis, qui pro artibus  
suis mechanicis officinas longè aptiores delige-  
rent.

Non civibus modò hic situs obtigit opportu-  
nus; verùm & Nobilitas eundem splendore suo  
ornavit: complura etenim surrexère palatia, quò  
viri illustriores aulæ, reipublicæque muniis insi-  
gnes, æstivo potissimum sole ( cum longius ab  
urbe commorari negotia prohiberent ) in adfiteo  
ponè ædibus splendore maximo excultis, ani-  
mum à curis levandi causa, concederent. Quæ  
omnia exiguo temporis spatio adeò accrevère hu-  
jus suburbii ædificia; ut nihil abesse videretur,  
quàm civitatis ut nomine insigniretur.

Verùm & hujus occasionem præbuit, annò sæculi  
superioris nonagesimo Augustissimus memoriæ glo-  
riosissimæ JOSEPHUS I, tum recens Rex Romano-  
rum inauguratus: cujus decoris collati memoriam,  
ut posteritati non modò transcriberet, quin &  
authorem Augustissimum loqueretur, Marchio de  
Malaspina, cujus operâ effectum, ut ager antè,  
civi-

civitas dici mereretur, Josephinæ nomen indidit : atque ut duplici titulo terreno uno, altero cælesti id nomen retineret, pro sua in superos pietate Virgineo Matris Virginæ Sponso urbis tutelam detulit, publicoque loci insigni ejusdem iconem inferi voluit.

Isthic civitatis Josephinæ ortus, quem, ut retulimus, Marchioni de Malaspina in acceptis refert : altiùs assurgens ætatis provectioris splendor Magistratum urbis, Dominum veneratur. Sæculi namque labentis Annô decimo à Marchionis sæpe laudati juribus, persoluto Rhenensium nonaginta millium preciô, Senatus Urbis dominio suo vendicavit : ab hoc ædibus amplis, novisque adductis Coloniis auctior est reddita ; ut domos modò suo in circuitu centum quinquagenis plures, incolarum decem millibus quingentis habitatas concludat. Ædes recta plerumque ferie structas, viæ ordine non indecoro ductæ interrumpunt, è quibus minores septem transitum ad omnem latè viciniam aperiunt ; majores quatuor plaustris, rhedisque spatiô peramplo patent.

Ut verò non minorem ornatum ab civium concordia, exactaque legum custodia sibi conciliet ; suo è numero Prætorem cives legunt, cui auctoritate Senatûs urbici confirmato publicæ tranquillitatis, æquitatisque cura incumbit.

Ordinato sic rerum civilium guberniô, ut pietatis studium pari decore in animis civium effloresceret ; ab Augusto Cæsare Leopoldo Magno, Romanorumque tum Rege Josepho I. Anno sæculi proximè lapsi nonagesimo octavo, jacto consuetis solemniis primo lapide, ædi sacre construendæ, Collegiôque RR. PP. à piis scholis dictorum initium datum est. Ecclesia ubi eò assurrexisset annis abhinc octodecim, ut rei divinæ peragendæ esset idonea ; in DEI genitricis honorem, sub titulo Virginis Fidelis, usitato Ecclesiæ ritu Numini consecrata fuit. Magnificum illud opus est :

est, dignumque, quod Josephina in urbe Numi-  
ni attolleretur. Area amplissima elegantis operis  
colosso ( de quo plura infra ) ornata sese ante  
fores templi principes explicat.

Facies ædis hujus exterior jamjam spondet splen-  
dorem aliquando futurum singularem, qualem  
hodie dum augusta interioris structuræ moles  
ostentat, architecti peritissimi ingenio: in hac  
ordine non eleganti minus, quam multitudinè  
capiendæ idoneo partes omnes dispositæ; sacra-  
rium verò & geminum hinc inde latus aræ prin-  
cipi proximum sacellis geminis profundius utrim-  
que recedentibus stipatur, ut crucis figuram ( quæ  
hodie mos in ædium sacrarum structuris Italo-  
rum esse solet ) cum navi Ecclesiæ, ut dicimus,  
exhibeat. Altaribus item iconibusque ab artificii  
penicillo laudatis ornatur plurimum, novumque  
indies decorem à zelanti pro domo Domini Pa-  
trum prædictorum solertia consequitur. Quid,  
quòd & sacris Paræciæ juribus Eminentissimi,  
Celsissimique Viennensium Archipræfulis autori-  
tate Anno decimo nono sæculi labentis decorata,  
centum sex & viginti ædibus curam pastorem  
RR. PP. Piarum Scholarum operâ impendat, fa-  
miliis reliquis, penes Udalricianam Paræciam re-  
manentibus.

E templo ad colossum sacrum, de quo dicere  
cæpimus, revertamur. Divinæ Matris ab origi-  
nali labe immunis simulacrum eleganti effictum  
scalpro basi saxæ Angelicis circum formis ador-  
natae insistit: neve Illustrissimæ in Matrem Dei  
intemeratam pietatis memoria lapsis temporibus  
aboleretur, incisâ saxo hac epigraphe cautum  
est:

AB ILLUSTRISSIMO DOMINO DOMINO GE-  
ORGIO CONSTANTINO COMITE, ET S. R. I.  
PANIERO LIBERO BARONE DE SIMICH IN  
COOSDORFF TRIUM AUGUSTISSIMORUM LEO-  
POLDI I. JOSEPHI I. ET CAROLI VI. PER XXII,  
ANNOS

ANNOS EXCELSI REGIMINIS CONSILIARIO ANTIQUISSIMÆ PROSAPIÆ SUÆ ULTIMO.

HÆC ARA IN TESSERAM SPERANDÆ SALVTIS  
GRASSANTE LVE POSITA EST.

SINE LABE FILIÆ IOACHIM, ET ANNÆ, IOSEPH  
DIVÆ SPONSÆ HONORI.

Septa ad rectam cum ædibus utrinque adfitis lineam ducta aream obmuniunt, quæ cum pietatis obvallent sacraria, Divorum simulacris Sebastiani scilicet ac Rochi, Divi Pragensium Martyris Joannis Nepomuceni, Caroli Borromæi, Leopoldi, Divarumque Barbaræ ac Rosaliæ, diversorum Mœcenatum munificentia voluit esse exornata.

E parte læva aream ingressuris nobile laudatorum Piarum Scholarum Patrum Collegium templo adfitum visitur. Eodem, quo templum suprâ memoravimus, anno construi cæpit, Leopoldo Augustissimo Cæsare annuis id redditibus dotante; ut, accedente subinde aliorum Mœcenatum liberalitate, suis modò sub tectis seu Viros religiosa virtute consummatos, seu vitæ sanctioris Tyrones quadraginta liberali contubernio concludat; emolumentò urbis Josephinæ adfitorumque suburbiorum maximo.

Etenim longè utilissimam inter molestissimos scholarum pulveres teneriori ætati litterarum virtutisque studiò imbuendæ operam navat; ac has inter arithmeticæ disciplinæ arcana magna docendi peritiâ, facilitatèque numeroso discipulo referat, quæ alioquin privatos inter parietes, non nisi magno impendiò longiorisque temporis labore forent ediscenda. Cæteris commemorandis supersedeo, quòd brevitati studere sit propositum, atque eadem usus quotidianus abunde perspecta reddat.

Ad alteram ædem sacram breviter commemorandam progredior. Cum pastoralis incolarum  
cura

cura Patribus ( ut meminimus ) demandata pro officii ratione exigeret , ut ovicularum suarum à vita piè decedentium corpora religioso Ecclesiæ ritu terræ ab iis mandentur ; locum propè lineas Cæmeterio idoneum suis comparavêre sumptibus ; atque septis ducentarum viginti quinque orgiarum ambitu circumeuntibus conclusêre ; in cuius medio , ut suas pro defunctorum refrigerio preces populus majori pietate persolvat , templum Divo Germaniæ Thaumaturgo Joanni Nepomuceno sacratum construxêre.

Ab ædium profanarum , si quæ alia , urbs Josephina non postrema celebrari digna est ; præterquam enim , quòd domos octuaginta plures numeret , quæ bino , ternove fenestrarum ordine super subjectas minorum gentium domos sese efferentes , non sine habitantium voluptate oculis patentem latè circùm regionem ostentant ; Illustrissimorum etiam Virorum palatia animos non minùs quàm oculos rapiunt.

Hæc inter Comitum de Kinski , Nath , & Kollowrat fusiori calamo prosequenda forent ; nî brevitatis propositos limites transgredi vereremur. Eadem de causa Dominorum de Burgau , & Schilheim cum RR. PP. Minoritarum æde vasta , hortos item tam his quam prioribus adfitos , atque ab hortulanorum arte non magis , quàm arborum plantarúmque trans maria etiam huc accersitarum voluptatibus celebrari dignissimos , aliòsque minores centum duodecim propè filentes præterimus.

Valenzianorum hæredum non ignobile prædium ordine consequitur. Id palatio tum structuræ ornatu , tum amplitudine laudato , hortoque ponè constructo , seu ab arte , seu à natura ad voluptatem adornato definitur. Primum ad illud lapidem Comes à Stroz Anno sæculi labentis secundo posuit , fundò circumfiso sui juris factò : ànde , ne tellus , quam horti palatiique Structura  
reliquam

reliquam fecerat , otiosa squaleret , eam ædibus ornandam obtinuerunt advenæ , qui hodie numerum propè septingentesimum superant. Hi nemini , preterquam palatii Domino , tributarij propriis vivunt legibus , quas suo ab iudice , ut prædiorum suo jure viventium mos est , accipiunt.

Hoc velut intercalari suburbium aliud longius , ad valla procurrens , à tergo Josephinæ abscinditur. Id ab *campo alaudarum* quondam agminibus frequenti : quibus Augustissimi etiam aucupes non rarò hic loci , quòd aulæ vicinitas peropportunum redderet , insidiari delectabantur : appellationem *Erchenfeld* etiamnum retinet , cum addito ad *Neubruich*. Vulgus ne nomen , quo eodem alterum extra suburbiorum valla recentioribus annis excitatum vocitant , errori commisceat ; cognomentum veteris ( *Alt Erchenfeld* ) addidit , idque non abs re : diu siquidem antè *Erchenfeld* suburbium locum hunc occupârat , quàm Turcicus furor barbarum Viennensibus jugum postremò meditaretur.

Quo ab urbis mœnibus feliciter depulso ornatiorē longe , quàm antè , formam sibi è bustis & ruderibus reparavit. Etenim ædibus non ab externo solùm structuræ decore , sed opportuna civium frequentia capacitate laudatis adeò confitum est ; ut centum triginta plures eleganti serie ordinatæ ternis solùm plateis , viam committantibus admittant : utque vastitatem tectorum metiare , ea capitum septem millibus incoluntur.

Omnes magistratui urbano pendunt ; aliud tamen , à cæteris per suburbia ejusdem Domini subditis reipublicæ corpus constituunt , capite suis è membris assumpto , cui legum urgere custodiam , incolarumque concordiam fovere curæ est.

Sanctiorem jurisdictionem in cives *Paræcia Udalriciana* exercet , cujus præsidibus facellum quoque *ad septem refugia* nuncupatum , curare in-

cumbit ; quod annis abhinc viginti , ut sua in-  
ditione ab incolis superi colerentur , Pietas Do-  
mini Michaëlis Knor extruï fecit.

Inter ædes profanas , hortósque minores qua-  
draginta novem , caput altiùs effert amplum ma-  
gnificúmque Comitís de Lamberg quondam pa-  
latium , quod modò in Xenodochii Cæsarei ju-  
ra transit.

## De Josephina Onomasticon.

**I**mperii regale capit diadema JOSEPHUS.

Atque humeros orbi subjicit ille suos.

Quando Viennensi pars additur ista Coronæ ,

Nomen ab hoc Orbis Principe grande trahit.

Desine Roma tuos posthac efferre decores !

Si quid & Augustum Te magis Orbis habet.

Non jam Threjicium cytharæ juvat esse laborem ,


Nec juvat à Martis mœnia stare manu.

Vincere tot titulis poterit , non Nomine : mundus

Quando nihil tanto Nomine majus habet.







*Ad S. UDALRICI 1. Princ. de Traupson . 2. Templum et Monasteriū PP. Capucinarum . 3. Prædium Neudeggerianum . 4. Templ. Paroeciale  
 S. Udalrici . 5. Aula Scotens . 6. D. de Sanich . 7. D. Hengsberger . 8. D. Eminger . 9. D. Loran . 10. Corn. de Wült . 11. D. de Degen .  
 12. Princ. Esterhazy . 13. Cæmeterium . 14. D. de Pixl . **IN SPILLBERG** 15. Columna S. Trinitatis .*